Hieronymum renti, respondit se Hieronimum Commelinum vidisse in publico recte valentem, et cum
Nicolao Gardino inambulantem, quae certe non sunt signa periculosae aegrotatis.
Benedictus Deus qui te saepe morbis afflictum erexit iterum atque iterum ut fami-
liae tuae atque Ecclesiae diu possis utilis esse. Sane hic nuntius non minus me recre-
avit quam si de meis germanis fratribus laetissima nuntiasset. Proinde et meo,
et Jacobi nomine quam possum maximas Deo gratias ago. Daleri quos per Gas-
parem huc destinasti incolumes pervenerunt. Accepi his paucis post pascha diebus
nempe ad 14 aut 14 Aprilis 1561 — 63 Daleros. 27 st. et semissem.
In his 20 imputantur filio D. Hermanni Brassij meo convictori. Novi
autem daleri et 12 st. cum semisse dissolvunt sumptus extraordinarios quos feci nomine
Oliverij du Gardin anno superiori. Rursus alij 12 dal. cedunt in pretium
mensae eiusdem pro anno praesente. Postremo 10 daleri cum dimidio satisfaciunt
pro impensis quas anno proximo feci nomine Jacobi Commelini. Item alij 12
pertinent ad pretium victus anni nunc labentis, haec singula summatim fateor
me recepisse, quamvis enim apud certos amicos magna pars retinetur, tamen
lubens ea habeo pro acceptis quae sero post triduum aut quatriduum ad meas
manus esse perventura. Habeo gratiam quod vobis curae fuerit, ut mihi novis
nervis familia mea roboraretur. Pueri nostri omnes nunc bona valetudine
fruuntur. Res tum in Schola tum in Ecclesia deformes adhuc sunt et
inconcinnae. Deus colligat dispersiones Israelis quas constanti in caeleste
regnum suum. Amen. Affinis ille noster de quo ad te scripseram Corneliae nos-
trae maritus, quia papisticis uti ritibus in Baptismo noluit collectis ut iam
tertio iussus erat sarcinis ad Rhenum usque a nobis deductus emigravit, neque
dubitant ipsius iudices aperte gloriari, si quis idem in posterum sentiet, eandem
ei viam ingrediendam esse. Quamobrem si mihi Dominus ex nova coniuge libe-
ros donabit, ad aram alium erit confugiendum. Sed de his alias, non enim ~~habeo~~
audeo plura donec tuam super hac re sententiam cognovero. Vale. [Duisburgi, 23 April. 1561]

Nr. 93] D. Herberto a Langen. Pax Christi

Henrici vestri studia venerande Frater mihi (ut par est) curae erunt. De quo
[= Mena. 12; nuper rescripseram ad pretium victus et laboris pertinentia, ea sane et de altero
Nr. 13] puero cuius memineras scripta volebam. Poterit adiungi Henrico non in lec-
tura sed in cellam eandem, et nunc poterit nobiscum esse si dignum eum duxeris
vestra commendatione, hoc est, si puer est ingenio tractabili, in quo cum bona
spe profectus diligens opera collocari possit. Vestri coetus dissipatio me
contristat et est profecto piis animis deflenda. Tollitur e medio sapientia
ut feruntur res. Crateres, clypei, bubones, caetera salvis. In tempore Ma-

gister

66 51

gister dixit ... ne quid animis sit nova si qua res lætior acciderit in lucro deputabitur. Dominus Jesus qui clamat ... plus plusque communiat animos nostros Spiritu fortitudinis et prudentiæ. Ut et stare in adventu eius tremendum et quæ placita sunt ipsi constanter perficere possimus. Amen. Precatiunculas lubenter fœnerabimus modo id mutuum fiat. non excidit animo meo cum de via pene lassus essem quam opportune mihi succurreris et rebus consilijs et assidua oratione. Hæc summa beneficia quæ ab homine homini præstari possint, indissolubili quodam nexu me tibi sic arcte copularunt, ut neque ego tui unquam immemor esse possim, neque tu nostri oblivisci. De nostris rebus scribam alias nunc præ temporis angustia non queo. O si homunsio blitens postquam velut ab inferis mira quadam Jesu Christi bonitate excitatus sum, aliquid saltem quod salvatori meo gratum sit efficere illo ipso prestante possim. Cætera qualemcunque sortiantur exitum ipsius providentiæ permitto. Valui hic hactenus, valet Coniunx, valent familiares. Da operam ut et tu quam diutissime valeas ad DEI gloriam. Amen Duisburgi 3 Calend. May. 1561.

Tuus frater in Domino
Johannes Molanus.

[Beclo]

M. Egidio ... fratri. Pax Christi.

Nr. 94

Etsi ... (ut ille dixit) valde tamen nobis gratum est quod de nostris necessitatibus laborastis et quid vobis esset sententiæ candide impertistis. Emigrarat iam noster quum literæ redderentur. sed proderunt eæ (ut arbitror) in posterum si quis peregrinorum in eandem difficultatem impingat. Nam quod ad me attinet, si dabit Dominus heredem, vestræ moderationis ... ipsimet mihi videor præcidisse quando Nicolao non dubitavi esse author Cognato nostro, ne ... quidem ... tam pertinaciter urgentibus idque cum magnorum hominum prætextu illas aquæ expiationes tot seculis usitatas sine impio scelere omitti non posse. Nam qua ratione nunc ipse iugum recipiam cuius declinandi causa eos certe quos hac in urbe charissimos habebam amisi, et me transgressorem constituam, et pariter eorum in tuenda libertate constantiam condemnem. Itaque ut ceperam dicere Quantumvis vestram tam moderatam quam accommodatam temporibus Ecclesiæ sententiam approbo et me lubens vestro iudicio gravissimo subijcio, tamen postquam hic noster meo consensu egressus est, videtur meis quoque pedibus si quid eiusmodi accidat præscripta via esse. Sed hæc Deo, qui si quid imprudenter nihil tamen impie fecimus.

[= Hoev. ... a. 12: Nr. 14]

ὑποτάσσεσθαι

imprudenter